



173
1. ...
2. ...
3. ...
4. ...
5. ...
6. ...
7. ...
Ge...



17

DISSERTATIO THEOLOGICA

EADEMQUE
JURIS ECCLESIASTICI
DE

1739, 3.

VERA

ECCLESIAE

NOTIONE

21

VARIISQUE
ILLIUS SPECIEBUS,

quam,

DEO favente,

SUB PRÆSIDIO

CHRISTOPH. MATTHÆI

PFÄFFII,

S. Th. Doct. & Prof. Primarii, Univerf. Cancellarii,

Ecclesiæ Præpositi,

in aulâ novâ

ad d. XXV. Augusti A. MDCCXXXIX.

defendet

M. CHRISTIANUS THEOPHILUS GMELIN,

Tubingensis.

TUBINGÆ impressere PFÄLICHE atque BAUHOF.



p. 351

it
is
ue
V.
m.
a.
li-
fic-
TE
to-
na-
os)



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE
PRINTED IN GREAT BRITAIN
BY THE UNIVERSITY PRESS
AT THE UNIVERSITY OF CAMBRIDGE
1954





I.



Ecclesia est societas hominum, religionem à Christo traditam profitentium (a).

2. Hanc instituit ipse Salvator O. M. cum Apostolos primùm, dein LXX. discipulos alioque associaret sibi, liberè ipsius nomen professos, divinisque instruxit juribus (b) jura sociæ politica, quæ eidem tanquam societati liberæ in civitate erectæ aliàs competunt (c), sacro quodam sigillo corroborantibus, & miris modis amplificantibus.

A

3. Li-

(a) Generalissima hæc definitio est, ad qualvis Ecclesias, sive collegii liberi & æqualis sive formam gerant civilem, applicabilis.

(b) Vide origines juris eec. C. 1. art. 2. Scilicet, cum societates aliæ politicæ non nisi humano nitantur jure, divino hæc fulget, ita, ut non liceat summis imperantibus, eandem prohibere, persequi, proscribere. Matth. XXVIII. 19. 20. Act. IV. 18. sqq. V. 28. 29. Jam verò, cum mens hæc semper nostra existerit, cum & jura ecclesiastica nunquam à Synagogis, multo minus à solo consensu hominum mutuo vel arbitrio humano deduxerimus, non ferunt nos, quæ in thesibus & conclusionibus Theologicis de nexu divino ministerii Evangelici cum resurrectione Christi Montbelgardi A. 1731. editis p. 11. 12. scripsit Præses Conventus, multo minus, quæ in der fortgesetzten Sammlung von alten und neuen Theologischen Sachen A. 1730. p. 241. quis oggannit. Vide & diss. de jure sacrorum absoluto & collegiali p. 517. in notâ.

(c) Certè enim licet subditis, societates in civitate, legibus quoque & poenis h. e. disciplinâ constitutâ, sed conventionali, confœderare, ita tamen, ut NB. suprema imperantibus in illas competat inspectio politica, quâ, ne quidquam hic agatur salutis publicæ contrarium, cavendum est illis. Pecca-

19

3. *Libera itaque & aequalis*, si incunabula illius spectes, fuit eadem, non eo sensu, ac si nullo mandato divino, Christo ut se addicerent, obstricti fuissent Christiani primi, Apostolisque & Doctoribus Christianissimi nulla illius directio divinitus commissa esset, SED, quod nullo jussu civili ad eandem coacti fuere primum homines, quod & nulli in alterum heic imperii quicquam competit primitivis, nullaque jurisdictione coactiva ad coadunandam servandamque illam fuit exercitata (d).

4. Perduravit hæc sub Apostolis eorumque successoribus Episcopis, sensim sensimque tamen & in Conciliis & extra illa superioritatem insignem in plebem sacram affectantibus, Ecclesiæ forma, cum sub Imperatoribus ethnicis eadem premeretur.

5. Constantino verò M. ad Christianismum transeunte, cum templis cultuque gentilium destructis, Ecclesiæ privilegia accederent politica civitatique profus innecteretur illa in unum jam corpus fusa, nec ex disseminatis amplius, quarum quælibet sui esset juris, constaret societatis, cum & ob multitudinem & corruptionem (e) plebis ecclesiæ

re heic videas novam Cæmentariorum independentium societatem, Naturalistarum incredulam colluviem, quæ inspectionem hanc summi magistratus impiæ arcanorum suorum reticentiâ eludit, digna, quæ in Belgio, Gallia, Romæ fuerit proscripita. Vide Acta historico-eccllesiastica, ersten Band n. 2. p. 105. sqq. Scilicet & sacras societates formare licet, si saltem juribus imperantium nil derogetur. Ita l. 1. §. 1. ff. de coll. & corp. *Religionis consuetudine non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra senatus consultum, quo illicita collegia arcentur. & l. 4. sodalibus potestatem facit lex, pactionem, quam velint, sibi ferre, dum ne quid ex lege publicâ corrumpant.* Vind. de Pufendorfium de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem §. 17. 39. Boehmerum in jure publ. univ. Parte spec. L. 2. C. 4. Consil. Tubing. in causa Hellmund. in electis juris publ. T. 6. p. 593. sqq. & Moserum in dem rechtlichen Bedencken von den privat-Verfammlungen p. 11. sqq. Adde orig. jur. eccl. p. 186.

(d) licet subinde etiam in societatis æqualibus liberisque fieri solet, ut, quicquid certa gerit negotia, illis ut se addat, teneatur, ut & poena pecuniaria & corporis afflictivæ, conventionales sanè, in iis irrogentur. Id quod e. g. Synagogæ Judaicæ opificumque testantur societates.

(e) Scilicet, cum Ecclesiæ primitivis in classes *fidelium & vocatorum* divisa esset, mixtæ deinceps hæc fuere & in unam conflata massam, quod perperam factum. Alia quippe *Ecclesiæ sanctorum*, alia *Ecclesiæ vocatorum* jura ecclesiastica sunt, alia imperantium in hanc, alia in illam jura. Vide infra §. 17. 18.

clesiasticæ, imò & Episcoporum, fieri nequiret, ut Ecclesia tota communi consilio se ipsam regeret, & ut sine coactione regeretur amplius, aliam nacta est regiminis formam, talem sanè, qualis civitatis esse solet.

6. Qui enim, quæso, *aqualis & libera* dici potest illa societas, ad quam ineundam à summo imperante obstricti fuere cives, obstricti & ad disciplinam à superioribus per leges coactivas, non conventionales, sine ullo concursu suo constitutam observandam, ita, ut, qui obedire noller, pœnis coërceretur civilibus.

7. Scilicet imperium & jurisdictionem sacram ita dividerant tunc inter se Imperatores & Episcopi, ut, haud invitis illis, hi insignem ejus partem tam in Conciliis, quam extra illa exercerent, statusque Ministerii ecclesiastici constitueretur hierarchicus, majora indies incrementa sumpturus.

8. Capessivere quippe mox dominium sacrum Patriarchæ & in Oriente & in Occidente nati Primatesque, Episcoporum & Clericorum Domini.

9. Qui Occidentalis Ecclesiæ gessit habenas, Romanus, universale in Ecclesiam universalem, Orientalem quoque, dominium mox cum affectaret, ipsosque etiam summos Imperantes subjicere sibi conareretur, imò & circa civilia negotia ferret leges, cum & Episcopi sub hoc Principe stantes sacro jurisdictionem sacram exercerent atque imperio civili se subducerent, tyrannis inde sacra nata est, quæ bellum illud sacrum inter Ecclesiam Orientalem & Occidentalem, inter Sacerdotium & Imperium, doctrinæque & disciplinæ ecclesiasticæ corruptionem summam peperit, juribus Ecclesiæ originariis prorsus perfundatis.

10. Perspicere hinc reformationis sacrorum necessitatem licet, à summis Imperantibus, sine quibus utique fieri illa, certè in Germaniâ, haud potuisset, divino prorsus instituto ante duo hæc secula factæ.

11. Jam enim summorum imperantium, Christianorum maxime, hoc erat *juris & officii*, ut, tyrannide illa sacrâ destructâ, ad veram Ecclesiam revocarent fidem, & vel permitterent, ut eadem ipsæ sua reformarent sacra disciplinamque inter se confœderarent sacram.

cram (f), vel ipsi seculare brachium suum reformandis sacris affunderent (g).

12. Ubi factum prius, Ecclesiae, resumto jure originario, æquilibrium societatum rursus induebant formam, reservato tamen summis Imperantibus supremæ inspectionis politicæ, quod ipsis ut talibus competit jure. Communi quippe consilio hæc sub directione antistitum, doctorum & Presbyterorum jam reguntur (h).

13. Ubi verò multitudo Ecclesiarum in unum & grande corpus coagmentatarum earundemque indoles & status non permittebat, ut ipsæ socialia jura sua, tum reviviscentia, exercerent, haud invictis illis, sed applaudentibus, repurgatis sacris, administrare eadem cœperunt imperantes, non tamen, nisi ad salutem Ecclesiae, quæ suprema omnis ecclesiastici juris lex est, curandam mentemque ipsius (i), sine ullâ tyrannide sacrâ, sine ullâ conscientii injiciendâ vi, juxta primitivam earum indolem, collegialem illam, quantum fieri potest (k), exer-

(f) Certè enim *jus reformandi* societatibus quoque competit. Quis dubitet, societates æquales communi consilio concurrere posse ad abusus in ipsis natos reformandos? Datur itaque & *jus reformandi* ipsi Ecclesiae competens.

(g) *Jus reformandi*, quod summis competit imperantibus, ex majestate vel superioritate territoriali fluit, cum abusus in societatibus natos, civitati infestos, tollunt & turbatores societatum coërent pristinaeque illas restituunt disciplinæ, conventionali illi, quam restituere ob dissensiones & turbas vel alios ob defectus ipsæ haud valent subinde. Ex quo & consequitur, *jus reformandi sociale* vel *collegiale* exercere & imperantes, quæ tales, posse, eum Ecclesie ipsæ id exercere haud valent.

(h) Documento esse possunt Ecclesie Belgicæ, eæ præcipuè, quæ religionem à dominante diversam profitentur, exceptis tamen Romano-Catholicis, Hungaricæ item, Transylvanicæ, Polonicæ, Anglicæ Presbyterianæ &c. &c.

(i) Hinc e. g. formulam fidei typumque doctrinæ condere, quod Ecclesie jus est, nequit imperans nisi ad hujus mentem. Confer cel. Canzium in discipl. mor. omn. §. 2274. p. 782. §. 2300. 199. p. 793. 199.

(k) Scilicet, cum sine brachio seculari rebus assufo impossibile sit, Ecclesiam, quæ *vocatorum* est, quæ totam civitatem pervadit, vel majorem illius partem occupat, quæ maximam partem ex hominibus disciplinæ sacræ imperantibus & ad turbas pronis, itemque ad regimen ecclesiasticum conventionale gerendum ineptis constat, uti par est, gubernare, jurisdictione hec formalis opus esse nemo facile dubitaverit, ita tamen insistenda, prout formalis & indoles Ecclesie fert. Abludimus heic ab eorum sententiâ, qui pun-

exercenda adeoque in casu contraventionis *in se revocabilia* (1).
 14. Sic, relicto Ecclesiis, quod originarie competeat ipsis, *jure*, hujus exercitium, *tacito earundem consensu* (m) in Imperantes translatum est (n), & eò quidem consultius (o), quòd in tantà Ecclesia-

A 3

tant, magistratus summos ab exercitio juris sacrorum penitus excludendos esse. Ita Wolfg. Baro de Metternich von der vvhahren Kirche p. 249. 250. ubi: *Die Kirche Gottes ist eine freye Societat oder Gesellschaft und Verbrüderung, welche, angesehen sie mit dem gemeinen Leben keine Verknüpfung hat, im geringsten zu berühren der weltlichen Obrigkeit nicht zuliebet.* Adde p. 223. 224. Ita Jo. Christianus Seizius in dem Melchizedekischen Priesterthum, ubi tùm Bileamitas, qui Ecclesiam magistratui, tùm Nicolaitas, qui eandem sacerdotio subjiciunt, refellere conatur. Ita Vir præstantiss. Jo. Henricus le Maître, illustriss. Comiti Lippiano à sacris, cujus systema Juris ecclesiastici Christocraticum exhibet ill. Boehmerus T. 5. Juris eccles. Proteft. in præf. §. 12. fqq. à systemate collegiali in hoc ferè solo capite devians, licet sub finem addat, *Principes directionem negotiorum ecclesiasticorum quidem habere posse, non tamen aliter, quam ex voluntate expressà vel præsumtivà populi.* Existimàrim, confundi hic statum Ecclesiæ originarium & purum, h. e. Ecclesiam sanctorum cum statu Ecclesiæ corrupto & Ecclesià vocatorum, atque ab illà & illius juribus ad hanc & ejusdem jura haud concedendam neci consequentiam. Alia quippe illius, alia hujus ratio est, quod egregie monuit ill. Boehmerus l. c. §. 15. p. 35. licet non existimemus, doctissimum le Maître idem hic cum canonico systema Juris ecclesiastici concedere, vel Ecclesiam à Magistratu absolutè independentem esse, tradere, aut jurisdictionem coactivam illi affundere voluisse, prout idem Vir illustr. existimavit.

(1) non tamen *pro arbitrio*, quemadmodum in orig. Jur. eccl. p. 188. jam monuimus, ubi & *irrevocabilia* illa diximus, si scilicet NB. benè administrantur, p. 183. 196.

(m) Mirum est, fuisse, qui postularint, ut consensus *taciti* ex actis publicis daremus *expressa* documenta. Vide orig. Jur. eccl. p. 219. & instit. jur. eccl. p. 55.*

(n) Non nova hæc sententia est, à nobis excogitata, à mente antiquorum Theologorum nostrorum abludens, quorum hanc in rem effata produximus in diss. de jure sacrorum absoluto & collegiali p. 519. fqq. Addimus Dannhavveri hodos. Christ. phæn. 2. p. 133. & Theol. conscient. T. 1. P. 2. spec. dial. 3. p. 919. Osiandri diss. de tribus Ecclesiæ militantis hierarchiis sect. post. de ministr. eccl. qu. 2. p. 13. Niemannii disp. de vocat. ministr. Eccl. §. 37. & Scherzeri diss. de legitimâ ministri Ecclesiæ constitutione C. 3. §. 5. Nec valet objectio, Principes ita transformari in *meros Ecclesiæ Commissarios* & jus sacrorum in *jus precarium* & *delegatum* saltem. Vide ill. Boehmeri præf. ad T. 5. Juris eccl. Prot. §. 11. p. 19. Jam enim *non indignum est*, monente cel. Canzio

clesiarum plebisque sacrae multitudine fieri haud poterat, ut ordo, ut disciplina ecclesiastica servaretur, ut sine turbis jura exercerentur sacra, nisi coactiva accederet jurisdictionio, solis quae competit imperantibus.

15. His

Canzio nostrate in discipl. mor. omn. §. 2277. b. c. p. 784. *Principibus, societatum in civitate nonnullarum juribus uti delegatis.* Id quod primum est. Praeterea, ita pergit idem, non dicimus, omnia, quae circa Ecclesiae regimen Princeps gerit, potestate delegata cum agere. Habet enim jura majestatis, quae proprio jure exercet. Id quod secundum est. Accedat tertium, quod in orig. J. E. p. 197. ediximus, ubi: *Num ergo precarium id est jus, quod ex liberrimo arbitrio eorum, qui istud possident, alteri traditur? Ita sane ipsa tandem majestas esset precaria &c.* Adde instit. juris eccles. nostras p. 241. Quod restat, nolum, ut statuas, translationem hanc sine ullâ reservatione horum vel illorum jurium esse factam, id quod formalem tyrannidem lahorum & Caesaropapiam pareret. Ita quippe sine ullo dubio Ecclesia suis libertatem reservavit conscientiae & religionis servandae vel mutandae, itemque exercitii religionis servandi vel mutandi, in ipso quoque instrumento Pacis Osnabr. stabilitam, ubi & subditis sub imperante diversae religionis assignatur ex juribus, quibus societas Ecclesiastica originarie gaudet, collegialibus institutio Consistoriorum & ministeriorum tam scholasticorum quam ecclesiasticorum. Art. 5. §. 30. Ita nullum quoque dubium est, conventuum privatorum recte insectendorum veniam dandam esse iis, qui aedificationis sacrae causa in unum coeunt, in Ecclesia vocatorum Ecclesiolarum sanctorum collecturi, quae Speneri *Phœzus* est in Consil. Theol. Lat. P. I. p. 433. P. 2. p. 138. 517. Theol. Bed. P. I. p. 584. P. III. p. 132. 160. 218. 721. letzten Theol. Bed. P. 3. p. 704. Adde das Theol. Bedencken über die privat-Versammlungen, quod exstat in der freywilligen Nachlese der Monats-Schriften, 7. Samml. n. 1. p. 769. sqq. à nobis in favorem Reutlingensium scriptum.

- (o) Quid, ais, *consultius*? Nonne virando Charybdin, tyrannidem episcopalem, incidimus in Scyllam, Caesaropapiam nempe? Ita Scizius, ita Meistlerus, locis notâ (k) citatis. Ita ferè & Spenerus in Consil. Theol. Lat. P. 2. p. 95. P. 4. p. 420. 484. Theol. Bed. P. I. p. 263. 696. P. 3. p. 118. 411. 412. P. 4. p. 202. 297. sqq. 417. letzten Theol. Bed. P. I. p. 492. P. 3. p. 92. Ita ccl. anonymus de vocat. Ministr. Eccl. §. 469. p. 173. *Quoniam translata potestas ecclesiastica sepe in abusum rapitur, non dubito, consultius haud raro futurum esse, si istaec potestas nunquam alienata penes populum mansisset.* At egregie idem hic §. 470. p. 174. 175. *Cum abusus ex aequo vitentur &c, cum porro turba metuenda sint maxima, si magistratibus jus sacerorum inconspicuo impetu eriperetur, evidens est, jus retractandi propter Christianam prudentiam, ne majora exoriantur mala, suspendendum 1. Cor. VI. 12. Scilicet in minoribus, in disseminatis, in sanctorum Ecclesiis praestat, jura socialia haud transferre, aut in majoribus, in vocatorum Ecclesiis, in quibus turbæ quotidianæ metuendæ sunt, praestat, imperanti jus circa sacra relinquere ad illas evitandas. Sed pessime utique fecerit imperans, si Ecclesiam hic affligerit.*

15. His ita comparatis, nescio, qui dici possit, Ecclesias *imperium* hoc *sacrum* agnoscentes societates esse *aequales* & *liberas* (p). Est enim hic ordo *imperantium* & *parentium*, est civitatis sacrae forma, est, qui leges ecclesiasticas ferat atque ad superioritatem suam territorialem hoc tanquam jus regale referat & contravenientes civiliter coëreant & puniat, est, qui Ecclesiae *imperet*, restricto licet ad indolem religionis Christianae imperio, conscientiarum libertati haud infesto, sunt, qui sub formidine poenae civilis in casu contraventionis irrogandae *pareant*. Id quod notoria comprobat experientia.

16. Solae Ecclesiae, quae, ut suis viverent iuribus collegialibus, *permissum* est (q), *disseminata* maxime illae & *minores*, subinde etiam *pressa* (r), in quas imperantes diversae religionis iura sacrorum ad eandem

(p) nisi *liberas* eo dicere velis respectu, quod mutare religionem & ab una ad aliam transire Ecclesiam hic licet, & *aequalis*, quod unum Ecclesiae membrum, exceptis imperante & ejusdem officialibus sacris, alii imperare nequit. Sed & sic ipsa civitas & *libera* & *aequalis* dici posset societas, quod absonum. Scilicet, quod in statu primitivo olim per *directionem* factum *conventionalem* est, id hodie per *jurisdictionem coactivam* ab imperantibus in Ecclesia agitur, quae *libertatem*, quae *aequalitatem* societatis sacrae profusius pessundat. Exemplo assertionem illustrabimus. Coit in unum mercatorum quaedam societas. Communi consensu his vel illis negotiorum administratio traditur, ceteris numos in communem ararium conferentibus. Societas haec haecenus *aequalis* est. Si vero magistrarus ex capite juris regalis sibi competentis etiam inspectionem supremam suam in hanc societatem extendat, ut leges eidem praescribat, ministros constituat, numos in unum collectos pro autoritate, qua pollet, administret, & poenas dicat civiles sive pecuniarias sive corporis afflictivas contravenientibus, quis, quaso, dixerit, hanc societatem & *liberam* & *aequalem* esse amplius? Applicatio est in promptu, nec ovum similis ovo. Nec regetas, velim, nos tum in orig. juris eccl. p. 188. tum in instit. juris eccl. p. 43. tum in diss. de jure sacrorum absoluto & collegiali p. 537. affirmasse, quod Ecclesia collegii naturam non exuat ejulque iura retineat, sub imperantibus jus circa sacra exercentibus. Aliud enim est *ius*, aliud *exercitium*. Quod cum cessaverit, Ecclesia utique hodierna nostra collegium *aequale* amplius non est, quod tamen visum ill. Boehnero in instit. juris canon. & eccl. L. 1. tit. 1. §. 28. p. 11.

(q) Vide supra §. 11. 12.

(r) Vide Speneri Consil. Theol. lat. P. 1. p. 430. 433. & Theol. Bedencken P. 3. p. 118. 411. 412. ubi statum Ecclesiarum sub Domino diversae religionis existentium feliciorum subinde praedicat ac Ecclesiarum sub Domino ejusdem religionis Casaropapiam exercente gentium.

rundem mentem exercere nolunt, societates libera & aequales dici merentur.

17. Si tota Ecclesia ex piis & sanctis constaret, sponte ad officia sua adimplenda concurrentibus, nollem, ut jus, quod Ecclesiae competit, originarium unquam exerceret imperans. Non poscit, non amat hoc *sanctorum Ecclesia*, quae coactivis mediis non opus habet regi, quam charitas divina armata prudentia concesserat, indoles (s). Videas hic homines ad disciplinam ecclesiasticam condendam servandamque idoneos, aptos & ad *Ἀγένησιν πνευματικῶν*, quā opus est ad eligendos illos verbi praedicandi ministros, qui divinis ad ministerium tam sanctum ritē gerendum *χαρίσματος* pollent. Videas antistites sive doctores sive soli Ecclesiarum directioni vacantes, divinā capacitate ad docendam ritē & dirigendam Ecclesiam pollentes. Videas disciplinam ecclesiasticam cursumque Evangelii ex communi antistiticum plebique sacrae zelo florentem.

18. Alia prorsus *Ecclesiae vocatorum* ratio est, maximam partem ex iis constantis, qui, licet fidem Christianam profiteantur, ad illius tamen exercitium adhuc convertendi sunt. Etsi enim & heic quoque disciplina vigere conventionalis possit, *minoribus* maximē & *diffeminatis* (t), si recepta semel consuetudo illam firmaverit, si oculator antistiticum prudentia eidem servandae probē invigilet, facilior tamen turbis hic patet porta, quae brachio seculari viam sternit, ut rebus Ecclesiae, ut disciplinae ejus conventionali se immisceat, imō pro re natā ad servandam salutem publicam, imō & ad ipsius Ecclesiae servandam salutem, consistentiam & disciplinam jurium sacrorum conventionalium exercitium jurisdictione coactivā sibi administrandum summat. Pone, antistites Ecclesiae, quae illius commissā est directio tyrannidem exercere sacram & tūm doctrinam tūm disciplinam sacram corrumpere. Pone, anarchiam, seu potius independentissimum infestum esse Ecclesiis, populi que clamorem cetero turbas, consistentiam Ecclesiae affligentes. Pone, non esse in Ecclesiis, qui nōrint, dignos idoneos-

(s) Diximus hoc jam in orig. jur. eccl. p. 198. Sani quippe manu medica non habent opus. *Vocatorum* verō societas *agrotorum* est societas, de qua longē aliter pronuntiandum. Matth. IX. 12.

(t) Vide §. 16.

idoneosque illis præficere Pastores, sacramque ritè conformare disciplinam. Si brachium seculare heic vulneratis rebus, uti par est, ferat suppetias, si habenas sumserit Ecclesiæ in ruinam incumbentis, si restituat lapsa, si reformet abusus, si illos constituat antistites, qui gloriam divinam, qui salutem Ecclesiæ unice inueantur, qui, omni tyrannide sacrâ, simoniâ, nepotismo, omnibus aliis pravis finibus procul facessere iussis, res sacras gerant divini impleti spiritu, quis dubitet applaudere sanctæ huic sacrorum administrationi licet jurisdictione coactivâ subinde armata? (u) Aliter pronuntiandum, si & hæc, quod contingere sæpius solet, in tyrannidem sacram degeneret (x).

19. Ex iis, quæ diximus, patet, nos jura doctorum Ecclesiæ, quæ olim directio Ecclesiarum incubuit, destructum non ire. Ea enim, quæ pro ratione muneris sacri præcipua habent (y), ex instituto divino manantia, facta & tecta ut servet summus imperans, poscit Ecclesiæ indoles & divina lex.

20. Sed verò & ex dictis liquet, quid de *juribus sacrorum*, tùm quæ imperantibus, tùm, quæ Ecclesiis his vel illis competunt, tùm *majestaticis* aut ex superioritate fluentibus territoriali, tùm *collegialibus* & *conventionalibus* (z) eorumque *exercitio* hic & nunc pronuntiandum sit, &

B

21.

(u) Vide infra notam (xx).

(x) Scilicet ex omni parte hic occurrunt difficultates in Ecclesiis corruptis, ubi, quicumque sacrorum jus administraverit, abuti potestate suâ potest vel capacitate necessaria, maxime spirituali, ad opus ritè gerendum carere. Opus hic *patientia sanctorum* est, patientiam divinam imitaturæ, sub quâ præsens Ecclesiæ universalis œconomia, tota, quanta quanta est, stat.

(y) Spectant hic verbi divini prædicatio & sacramentorum administratio reliquaque munia ministerii ecclesiastici.

(z) Hæc accuratè proposuimus distingimusque in orig. Jur. eccles. C. 4. art. 2. p. 199. sqq. itemque in diss. de jure sacrorum absoluto & collegiali, secundæ editioni institutionum Juris ecclesiastici adjectâ, ubi & p. 525. 526. ex nostris laudamus, qui hoc nostrum systema secuti sunt, & p. 516. sqq. re-fellimus eos, qui illud fuere adorti. Jam verò & idem systema certatim ex recentioribus posthæc adoptarunt Viri longè doctissimi, Pertschus in elem. juris canon. & Protestantium ecclesiastici, Estor in delineatione juris publici eccles. Protest. Christianus Liber, cujus optatim verum nosse nomen, in

21. quantam lucem distinctio inter *Ecclesiam sanctorum & vocatorum*, quam dedimus, toti affundat jurisprudentiæ ecclesiasticæ. Id quod & nuper egregiè subinnuit Vir celeberrimus (aa).

22. Non verò coincidit illa cum distinctio inter *Ecclesiam visibilem & invisibilem*, de quâ jam agendum.

23. Hæc quippe ex sanctis in cœlo triumphantibus & in terrâ militantibus sed ubique terrarum & sæctarum diffusis & in uno cerni nesciis constat. Hujus regimen Christocraticum, spirituale, internum, invisibile est. Hanc vera in Christum, mundi Salvatorem, fides constituit, Spiritus S. unit, charitas animat. Hæc verum Christi Regis regnum, vera illius civitas, sed spiritualis, verum Christi Capitis Corpus, vera ejusdem Sponsa est, una eadem & sancta. Hujus gloriæ participes non sunt *Ecclesie vocatorum* externæ, nisi quantumvis membra illius vera in sinu suo fovent aluntque.

24. Existentiâ *Ecclesie* hujus *invisibilis* nemo sapiens temerè negaverit. Nec tamen ad eandem spectat *Ecclesia in purgatorio* patiens (bb), cùm purgatorium sit fabula, adeoque propter nullitatem suam *invisibilis* illa sit.

25. *Visibilem* variè ut dividamus, variæ ejusdem considerationes possunt.

26. Est verò eadem vel *universalis* vel *particularis* (cc).

27. *Universalis* omnes *Ecclesias* tùm *successivas*, tùm *simultaneas* complectitur. Hæc, uti *invisibilis*, destrui nescit Matth. XVI. 16. 28.

der Untersuchung der Conventional- oder Collegial-Rechten der Evangelischen Kirchen und deren rechtmässigen Verwaltung A. 1733. 4. qui libellus demonstrativâ superbit methodo & contraria iis, quæ statuimus, in nostris abs ratione metuit, Henr. Kœhlerus in jure sociali & gentium ad jus naturale vocato spec. 5. de imperio civili §. 1024. sqq. p. 162. sqq. maximè verò celeberr. Deylingius in instit. prudentiæ pastoralis p. 42. sqq. ut alios taceamus.

(aa) in jurisprudentiâ sociali ecclesiasticâ §. 2190. sqq. Adde diff. nostram in verba Christi: *dic Ecclesie* p. 10. 11. 17. 18. & Speneri Rettung der Evangelischen Kirchen contra Grabium p. 2. sqq.

(bb) Vide Bellarminum T. 2. de controversiis Christiana fidei, contr. 3. gen. L. 2. de Ecclesiâ, quæ est in purgatorio.

(cc) Hinc & Jurisprudentia ecclesiastica est vel *universalis* vel *particularis*. Ad illam pertinent leges ecclesiasticæ *universales*, ad hanc *particulares*.

28. Priori respectu Ecclesia est vel *primi*, vel *medii* vel *recentioris aevi*, cujus origines, propagationem & fata historia ecclesiastica pandit.

29. Posteriori est vel *Orientalis* vel *Occidentalis*, vel *Africana*, vel *Americana*.

30. Singulae ratione diversorum Patriarchatum & Episcopatum, diversarum nationum, provinciarum & civitatum rursus distinguuntur. Ita dantur Ecclesia *Romana*, *Constantinopolitana*, *Antiochena*, *Alexandrina*, *Hierosolymitana*, ita porro *Germanica*, *Gallica*, *Hispanica*, *Anglica* &c. &c. *Mediolanensis*, *Aquilejensis* & sic in infinitum.

31. Ratione hierarchiae & jurium alia est *Patriarchalis*, alia *Metropolitica*, alia *Episcopalis*, alia *Presbyteriana*, alia *independens*,

32. alia item *Cathedralis* (*dd*), alia collegiata (*ee*), alia conventualis (*ff*), parochialis alia (*gg*) vel semiparochialis (*hh*), mater alia, alia filia (*ii*), alia aulica, quae subinde vel parochialis vel quasi-parochialis (*kk*), vel nudum saltem Oratorium (*ll*) est, alia publica (*mm*), alia privata (*nn*), alia domestica (*oo*).

B 2

33.

(*dd*) Haec Episcopi est. Nota, 1. templum hic connotari, 2. exhiberi haec à nobis species Ecclesiarum *titularum*, solis oratorii privatis contradistinctarum. Vide cel. Deylingium l.c. p. 205.

(*ee*) Haec Canonicorum est.

(*ff*) Haec Monachorum est.

(*gg*) In hac sacramenta administrantur populo ad eandem spectanti.

(*hh*) In hac S. Eucharestia saltem administratur parochianis, administratione baptismi ad Ecclesiam principalem affixa.

(*ii*) In illa residet Pastor, qui alii adhuc praest accessoriae, quae primariae subordinatur, filiali nempe.

(*kk*) ita, ut vel utrumque in illa administrantur sacramentum, vel Eucharestia saltem, ad quam tamen admittantur &, qui alicui non sunt.

(*ll*) Haec sola fit verbi praedicationi, vel saltem non admittitur, nisi familia imperantis, aut privata alia.

(*mm*) ad quam convolare plebs sacra pro lubitu potest ad audiendum verbum divinum & sacramenta accipienda. Publicum haec templum postulat, & publicam, quae signo campanae fit, ceteris collectionem.

(*nn*) Extra templum publicum haec colligitur & restricta est ad conventum privarum, in quo tamen sacramenta administrantur.

(*oo*) Haec restricta est ad familiam in una domo habitantem. Nulla haec verbi pra-

33. Ratione exercitii jurium ecclesiasticorum Ecclesia est vel *synthetica* vel *representativa*. Illa est collectiva totius cœtus, quam quia ad curandas res suas sacras vel haud idonea est vel propter multitudinem membrorum nimiam amplitudinemque suam jura sua administrare ipsa haud valet, hæc representat vel in *Concilio*, vel in *Synodo*, vel in *Consistorio*, vel in *Presbyterio*.

34. Eodem intuitu Ecclesia est vel *privilegiata* vel *minùs privilegiata*, vel *dominans* vel *pressa*. Privilegiata & dominans privilegiis sacris & civilibus (*pp*) præ alterâ fulget, vel *sponte* ab imperantibus collatis, vel ex *pactis*, mox *publicis* (*qq*), mox *privatis* (*rr*) oriundis.

35. Ratione dotis & juris vocandi onerisque sustentandi ministros Ecclesia est vel *patronata* vel *minùs patronata* (*ss*).

36. Ratione bonorum ecclesiasticorum sub qualitate feudi Ecclesiæ collatorum vel *vassalla* illa est, vel *minùs talis* (*tt*).

37. Ita dantur & Ecclesiæ *unite* unumque formantes corpus, & *separate* aut *disseminata*.

38. Ratione doctrinæ Ecclesia est vel *orthodoxa* vel *heterodoxa*, *vera* vel *falsa* (*uu*), *pura* vel *impura* sive corrupta, reformationis profus indiga (*xx*).

39.

prædicatio à Ministro fit, nulla sacrorum administratio. Vide tamen orig-juris eccles. p. 81.

(*pp*) Pertinent hùc immunitates Ecclesiarum earumque prærogativæ politice.

(*qq*) Spectant hùc pacificationes religiose.

(*rr*) Hùc referas pacta imperantium cum subditis circa exercitium religionis.

(*ss*) Patronata est, à Patrono quæ fundata est, certa in eandem jura sibi reservante. Minùs patronata, quæ secus.

(*tt*) Illa est, quæ bona in feudum sibi data possidet.

(*uu*) *Vera* dicitur subinde, quæ, licet *heterodoxa* sit, tamen adhuc illa dogmata, illa media servat, quibus positus salus æterna obtineri, licet diffculter, potest. *Vera* hæc fuerit in sensu æquivoco & abusivo, per *participationem* saltem, & quatenus has vel illas veritates præcipuas adhuc servat, aliquando etiam per *participationem minorem*, juxta quam & Ecclesiam Romanensem æquivocè *veram* esse quidam dixerunt. Illa verò in sensu justiore *vera* est, quæ nullos in fide fovet errores perniciosos & in quâ sacramenta administrantur ad mentem Salvatoris. Hæ enim veræ *Ecclesiæ vocatorum* no-

39. A potiori heic denominatio ut fiat, par est. Nulla enim falli & labilitatis vel peccabilitatis nescia est, maximè, quæ *vocatorum* est, cum nec, quæ *sanctorum* est, excipi heic possit (yy).

40. Jam verò hoc respectu Ecclesia est vel *Græca*, ad quam & *Russica* spectat, cui & *Ecclesia hæretica Orientales* jungendæ, vel *Romano-Catholica*, vel *Augustiana Confessione addicta*, vel *Anglicana*, vel *Reformata*, vel *Remonstrantium*, vel *Anabaptistarum*, vel *Independentium*, vel *Quakerorum*, vel *Socinianorum* &c. &c.

41. Dudum diximus (zz), Ecclesias spectandas esse tanquam Respublicas liberas, quarum unaquæque suis regatur legibus, nullaque aliis præscribere possit.

42. Superest distinctio inter Ecclesiam *plantandam* & *plantatam*. Hæc in initiis suis adhuc hæret. Illa suam adepta est formam & consistentiam.

43. Sequiori sensu *plantandam* & illam dixeris, quæ in errores, vel laxam disciplinam lapsa, reformatione eget. Hoc posteriore respectu omnes *vocatorum Ecclesias plantandas* dixeris.

44.

tæ sunt, quæ in *Ecclesia sanctorum* accedit tertia, sanctitas nempe membrorum Ecclesiam conscientium interna & disciplina ecclesiastica severior & strictior. Perspicere ex his est, qui vera Ecclesia semper exstiterit, in sensu nempe & sequiore, quæ verò per purum verbi præconium & rectam sacramentorum administrationem, ubi *pura* exstitit, sese manifestavit. Vide Aug. Confess. artic. fidei 7.

(xx) *Pura* est, quæ in sensu strictiore *vera* est, *impura*, quæ in sensu saltem sequiore & per participationem *minorem vera* est, adeoque prorsus reformanda. Insanus fuerit, qui necessitatem reformandæ falsæ & impuræ Ecclesiæ negaverit minisque applausit reformantibus, quicumque demùm illi sine, sive Principes, sive Episcopi, sive Presbyteri, sive laici, modo benè gesserint vel gerant opus. Ecclesiæ enim salus suprema lex est, quam observaverit prorsus, qui illam curaverit benè, & ad quam curandam etiam, qui ordine postremi sunt, in casu necessitatis obstructi sunt. Valet hic illud: *si bñ tacuerint, lapides clamabunt*. Luc. XIX. 40.

(yy) Vide primit. Tubing. P. 2. diss. 2. de præjud. Theol. §. 5. p. 127. & instit. Theol. p. 589.

(zz) in corpore doctrinæ moralis Sorbonico p. 7. de artic. fidei fundament. obs. 10. p. 29. instit. Theol. p. 590. & in instit. Jur. eccl. p. 45.


44. Quàm verò optandum hoc foret, ut ad veteris typum Ecclesie ita coadunari posset *sanctorum & vocatorum* Ecclesia, ut, quemadmodum olim complexa est *fideles, Catechumenos & pœnitentes*, suis distinctos classibus, divideretur hodie in *conversos, in viâ ad conversionem existentes & lapsos*, primisque solis via pateret ad mysteria divina & privilegia tribuerentur fidelium (*aaa*). Sed non permittit tam nobile, tam præclarum institutum Ecclesie corruptæ & numerosioris, cujus major pars semper prava est & conversionis sinceræ non saltem sed & disciplinae sanctioris impatiens (*bbb*), indoles.

(*aaa*) Confer diss. de vitiis eorum, qui sacris operantur, sect. 2. §. 4. p. 40. sqq. & orig. Juris ecclæs. p. 129. Jam verò id, quod heic desideramus, in egrègia olim praxin deduxere fratres Bohemi, quos nostro ævo imitata & secuta est imitaturque & sequitur strenuè Ecclesia Cyriophylactica & que ad Mariæ fontem colligitur, reliquæque prioris filie. Ita Lasitius de ecclesiastica disciplina fratrum Bohemorum C. 10. cui titulus: *Populus fratrum, in quatuor classes divisus*, incipientium, proficientium, ad perfectionem tendentium & pœnitentium, De pœnitentibus ita idem p. 53. 54. *Quartum hominum genus sunt illi fontes, quos antiqui Theologi lapsos & pœnitentes appellabant, qui ob aliquod enorme facinus à corpore sanctioris Ecclesie rejecti sunt, quibus illos quoque annumeramus, quorum conscientie variis malorum affectuum verberantur procellis. Istis converso ad Deum, ut rursus Christi participes fiant eoque fruantur, in memoriam reducitur, locus autem in tempus posterior humiliorque uti pœnitentibus in Ecclesia antiquâ assignatur, quò admoniti peccata sua magis expendant, commissa desceant fiantque in posterum cautiore & in vincendo malo fortiores. Prodent quoque ipsi demisso vultu, deprecatione humili omnibusque actibus suis corâs verè contriti indicia animique dolorem & pœnitentiam. Unde fit, ut, quemadmodum mali à bonis hæc in Ecclesia removentur, ita lapsi à firmiteribus sejungantur ad evidentiorum Ecclesie edificationem, quorum nihil alibi videas, ubi nullos geruntur ordine & pares sunt omnes inter se, nec ater differt ab albo. Adde Comenium in rat. discipl. fratrum Bohemorum C. 1. 7. & Buddeum in præf. §. Sed, ut eò magis*

(*bbb*) Hinc Paulus: *ὁ γὰρ πάντων ἡ πλῆσις* 2. Thess. III. 2. Moraliter quippe impossibile est, ut Ecclesie tam numerosæ ex meris content fidelibus, liceat id per miraculum gratiæ extraordinarium fieri possit & factum quoque sit. Act. II. 41. IV. 4. V. 14. 1. Cor. XV. 6. Vide Speneri lezte Theol. Bedencken F. 3. p. 704.

F I N I S.

.
o
-
s
s
r
.
-
-
n
S.
-
f.
-
-
s,



Tübingen, Diss., 1736-40



f


TA → OL

nur 1 + 3 Stücke verknüpft

WAB







DISERTATIO THEOLOGICA

EADEMQUE
IURIS ECCLESIASTICI
DE

1739, 3.

VERA
ECCLESIAE

NOTIONE
VARIISQUE
SPECIEBUS,

21

quam,
DEO favente,
SUB PRÆSIDIO
STOPH. MATTHÆI
PFAFFII,

et. & Prof. Primarii, Univerf. Cancellarii,
Ecclesiæ Præpositi,
in aulâ novâ
ad d. XXV. Augusti A. MDCCXXXIX.

defendet
STIANUS THEOPHILUS GMELIN,
Tubingensis.

in GÆ impressere PFLICKE atque BAUHOF.

